



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630

Sect. 1. Vtrum præter distinctionem realem & rationis, sit aliqua alia
distinctio in rebus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

hoc autem non repugnat inueniri in angelicis naturis, cum sint finitæ & limitatæ perfectionis. Dices, ergo nulla est in hoc differentia inter substantias materiales, & immateriales: quia in utrisque sumuntur genus & differentia à tota natura secundum perfectionem, vel imperfectiorem gradum, unde materia & forma veluti per accidens se habent, quia solum concurrunt quatenus sunt partes componentes talem naturam: consequens autem videtur contra D. Thom. cit. locis præsertim 1. part. quest. 50. artic. 2. ad 1. ubi ait esse differentiam inter substantias materiales, & immateriales, quod in illis ab alia re sumitur genus, & ab alia differentia in his vero ab una, & eadem re secundum rationem diuersam utrumque sumitur. Respondet Ferrata supra, si loquatur de proximo principio nullam esse differentiam, quia illud est tota natura in omnibus substantiis, ut diximus, si autem sit sermo de radicali principio, in hoc esse aliqualem differentiam: nam in substantiis immaterialibus, cum non sint compositæ ex partibus physicis, idem est principium radicale, quod proximum omnis unitatis formalis, in substantiis autem materialibus, quia compositæ sunt ex partibus physicis, quamuis tota natura sit principium proximum, materia vero censetur radicale principium generis, quia est radix totius potentialitatis: & quia per proportionem ad illam consideratur genus ut determinabile per differentias: forma vero censetur prima radix differentiarum quia illa dat ultimam perfectionem, & in actum redigit completam naturam. In quo etiam potest aliqualis differentia inter materiam & formam considerari, quia materia per se non est propriè causa radicalis aliquid gradus etiam generici, donec actuatur per formam, à qua primario & essentialiter pender omnis gradus naturæ substantialis. Unde D. Thomas quest. de spirit. creat. artic. 1. ad 24. dicit cum genus à materia sumi dicitur, non esse intelligendum de materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu specifi, sicut de animali est imperfectum respectu hominis, & utrumque est ab anima. Unde fit ut propriè loquendo, materia non sit principium generis nisi per analogiam & proportionem ut diximus. Forma vero aliquid amplius habere videtur respectu cuiuscunque differentiarum, quia est propria radix illius, quod non solum de vitima, sed etiam de subalternis differentiis verum est. Quamuis non sit omnino in suo genere excludenda materia: quia omnis forma naturalis est actus eius, & ab illa ut sic sumitur differentia, ideoque semper in tali differentia includitur aliquo modo materia.

VII.

Materialis substantia cum immaterialibus vniuocè conueniunt.

Ad secundum non defunt, qui concedant sequelam, scilicet nullum dari commune genus rebus non habentibus materiam communem seu eiusdem rationis, ut supra citatum est. Sed in nullo probabili fundamento nititur: quia, ut ostendimus, non repugnat compositio generis & differentiarum rebus finitis, etiam si, vel nulla materia physica consent, vel materia alterius rationis à materia horum inferiorum. Item non repugnat illis habere vniuocam conuenientiam, vel similitudinem cum his inferioribus, ut constat de conceptu substantiarum, qui secundum præcisam suam rationem consideratus æquè conuenit substantiis integris materialibus ac immaterialibus, & terrestribus quam celestibus. Respondetur ergo ad argumentum negando sequelam: nam in primis quod attinet ad corpora celestia & terrestria, quamuis demus materias eorum esse specie differentes, cum illamet materiæ genere inter se conueniant, nullum erit inconueniens ab eis suo modo sumi vnum commune genus his corporibus, non solum quatenus substantiarum sunt, sed etiam quatenus corpora sunt. Quod vero spectat ad immateriales substantias, vniuocè conueniunt cum inferioribus in ratione per se essendi, seu subsistendi in substantiali natura: vni-

de habere possunt commune genus, non sumptum à propria materia, sed à tota natura secundum indeterminatam rationem eius, ut dictum est. Neque huic veritati, repugnat dictum illud Aristotelicum, Corruptibile & incorruptibile differunt genere, quia ut exponunt Diuus Thomas, Alexander Aletis & alij tum ibi, tum 5. Metaph. text. 33. illud non est intelligendum de genere logico, aut Metaphysico, quod per conuenientiam in aliqua unitate formali consideratur, sed de genere physico, quod est ipsa materia, de qua interpretatione plura infra disput. 39. sect. 3. Tertia ratio iam dictis dissoluta.

DISPUTATIO VII.

De variis distinctionem generibus.



Ecce disputatio necessaria hoc loco visa est ad completam expositionem huius attributi, seu proprietatis entis: nam cum unitas indiuiduatione includat & ideo multitudini opponatur, quæ ex diuisione seu distinctione confurgit ad comprehendendos omnes modos unitatis, necesse est, omnes etiam modos distinctionis comprehendere: quia, quot modis dicitur vnum oppositorum, tot dicitur & reliquum. Est autem hoc in Metaphysica non minus necessarium, quam difficile: nam ut ex Aristotele sumitur 2. Post. capit. 14. vniuocuiusque rei essentia & quidditas per diuisionem, seu distinctionem attingitur, nam diuidendo vnum ab alio ad propriam vniuocuiusque rei definitionem peruenitur: unde, quam est difficile rerum essentias cognoscere, tantumdem est varios gradus & modos distinctionum explicare. Inquirendum ergo est, quotnam illi sint, & quibusnam indi- cibus seu modis discerni possint.

SECTIO I.

Vtrum præter distinctionem realem & rationis sit aliqua alia distinctio in rebus.



In hoc titulo duo supponuntur ut certum, & tertium inquiritur. Primo enim per se notum est, dari in rebus distinctionem realem, quæ ad maiorem explicationem appellari solet distinctio rei à re, quæ in hoc consistit, quod vna res non sit alia, neque contrariè: constat autem existere plures res, quarum vna omnino non est alia. Solum est obseruandum, interdum res non solum esse sic distinctas, sed etiam non esse inter se unitas, ut sunt duo supposita, vel accidentia quæ sunt in distinctis suppositis, & alia huiusmodi in quibus nulla est difficultas cognoscendi prædictam distinctionem, quia nullum est in eis vestigium realis identitatis. Aliquando vero contingit, huiusmodi res sic distinctas esse inter se unitas, ut patet in materia & forma, quantitate & substantia; & in his sæpè est difficillimum discernere realem distinctionem: quod sit rei à re: si potest esse in rebus alia minor illa, quod statim tractabitur; & tunc etiam explicabitur, quomodo sit vna distinctio ab alia discernenda.

Illud etiam est in hac distinctione obseruandum, solere distingui in positiuam, & negatiuam: quæ partitio non tam ex parte ipsius distinctionis, quam extremorum eius data est; distinctio enim ipsa formaliter semper in negatione consistit, ut supra dictum est, tamen hæc negatio intercedit aliquando inter res positiuas & reales, quarum vna, non est alia; & tunc dicitur distinctio positiuæ, & hæc est propria distinctio realis, de qua nos locuti sumus. Aliquando vero consideratur talis distinctio inter ens & non ens, aut inter non entia omnino diuersa, & tunc vocatur distinctio realis negatiuæ: quia vnum illorum extremorum

morum non habet realitatem quam habet aliud, si ens positum & reale sit; vel si vtrumque si ens priuatum, vt tenebræ, & cæcitas, quia ita separantur ac distinguuntur inter se, quod si positius res essent, realiter distinguerentur, vel certe quia fundamenta habent realiter distincta, in quibus suo modo esse censentur. Vnde hæc distinctio negatiua per proportionem, vel analogiam ad positiuam intelligenda ac declaranda est: ac propterea illa omiffa hic solum de propria ac positiuâ distinctione reali agendum nobis est.

III. Tandem animaduertendū est, ad præsentem disputationem nihil referre, quod ad distinctionem realem consequatur relatio realis, vel rationis: nos enim non consideramus hic distinctionem, vt importare potest formalem relationem, sed solum ratione fundamenti, ad quod potest consequi illa relatio. Vnde ad distinctionem reale non est necessaria (formaliter loquendo) relatio realis, Deus enim realiter distinguitur ab Angelo quamuis ad illum non referatur realiter. Quod si dicas, Angelū referri ad Deum. Respondetur, quicquid de hoc sit, tamen ante illam relationem intelligi Angelum esse rem distinctam à Deo: inde enim resultat illa relatio, si qua est. Et in Deo tres personæ distinguuntur realiter, quamuis inter eas distinctio non sit specialis relatio realis. Omittenda ergo est hæc relatio tanquam impertinens præfenti instituto.

IV. Secundo est certū dari præter distinctionem realem, distinctionem rationis. Et est illa, quæ formaliter, & actualiter nō est in rebus quæ sic distinctæ denominantur, prout in se existunt, sed solum prout substantiæ conceptibus nostris; & ab eis denominationē aliquam accipiunt, quomodo distinguimus in Deo vnum attributum ab alio, vel relationem identitatis à termino, quando dicimus: Petrum esse idem sibi. Hæc autē distinctio duplex distingui solet: vna, quæ non habet fundamentum in re & dicitur rationis ratiocinantis: quia oritur solum ex negotiatione & operatione intellectus, alia quæ habet fundamentum in re, & à multis vocatur rationis ratiocinatæ, quamuis hæc vox, sicut impropria valde est: ita & æquiuoca esse potest. Nam distinctio rationis ratiocinatæ sic dicta existimari potest, quia in re ipsa præexistit, ante quam ratiocinetur, vt quasi ex se ratiocinata dicatur; solumque requiratur ratio ad illam cognoscendam, nō vero faciendam: solumque dicatur distinctio rationis, & non realis: quia non est tanta, neque per se tam patens, sicut realis; & ideo requirit attentam operationem rationis ad distinguendam illam. Sed explicata significatione huius vocis iuxta hanc etymologiam, talis distinctio non est vere distinctio rationis, de qua nunc agimus, sed coincidit cum distinctione ex natura rei, de qua statim dicemus. Alio ergo sensu dici potest distinctio rationis ratiocinatæ: rationis quidem, quia actu & formaliter non est in rebus sed per rationem fit, aut excogitatur: ratiocinatæ vero, quia non est omnino ex mero opere rationis, sed ex occasione, quam res ipsa præbet, circa quam mens ratiocinatur. Vnde fundamentum, quod dicitur esse in re ad hanc distinctionem, non est vera, & actualis distinctio inter eas res, quæ sic distingui dicuntur: alias non fundamentum distinctionis, sed distinctio ipsa antecederet, sed esse debet, vel eminentia ipsius rei, quam sic mens distinguit, quæ à multis applicari solet virtualis distinctio, vel certe habitudo aliqua ad res alias verè & in re ipsa distinctas, penes quas talis distinctio excogitatur seu concipitur.

V. Hæc autem duo distinctionum rationis genera, quamuis ab alijs aliter explicetur, commodè tamen possunt in hunc modum declarari, nimirum vt distinctio rationis ratiocinatæ sit in ordine ad eundem conceptum adæquatum, seu simplicem, eiusdem rei solum per quādam repetitionem, vel comparisonem

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

eius, quæ in mente fit. Sic enim distinguitur Petrus à se ipso, vel in ratione subiecti & prædicati, quando de se ipso enunciat, vel in ratione termini & subiecti relationis, quando idem sibi dicitur: in his enim & similibus distinctionibus rationis, idem est atque integer conceptus Petri, solumque sit quædam repetitio & comparatio eius. At vero posterior distinctio rationis, fit per conceptus inadæquatos eiusdem rei: nam licet per vtrumque eadem res concipiat, per neutrum tamen exactè concipitur totum id, quod est in re, neque exhauritur tota quidditas, & ratio obiectiua eius, quod sæpe fit concipiendo rem illam per habitudinem ad res diuersas, vel ad modum earum; & ideo talis distinctio semper habet fundamentum in re, formaliter autem dicitur fieri per conceptus inadæquatos eiusdem rei. Sic distinguimus in Deo iustitiam à misericordia, quia non concipimus simplicissimam virtutem Dei, prout in se est, & secundum totam vim suam, sed eam conceptibus partimur in ordine ad diuersos effectus, quorum est principium illa emittens virtus, vel per proportionem ad diuersas virtutes, quas in homine inuenimus distinctas, & eminentissimo modo reperiuntur vnitæ in simplicissima virtute Deo.

Ex quibus intelligitur primo, distinctionem rationis non appellari, eo quod inter entia rationis versetur, in quo multi decepti sunt, vt postea videbimus: constat enim ex dictis exemplis, ea quæ sic distingui dicuntur, entia realia esse, vel potius ens reale diuersis modis conceptum: & ratione etiam id patet, quia ratio non fingit entia, quæ sic distinguit, sed solum per modum distinctorum concipit, quæ distincta non sunt: ergo non ea, quæ distinguuntur, sed sola ipsa distinctio per rationem resultat. Nec tamen mens fallitur sic distinguendo, quia non affirmat in re esse distincta, quæ sic concipit, sed simpliciter, & absque compositione, seu affirmatione aut negatione, ea concipit, vt distincta per abstractionem præcisam, per quam quasi efficit huiusmodi distinctionem. Quod si postea vel reflexionem, vel compositionem illam prædicat de rebus sic conceptis, non affirmat simpliciter illas esse distinctas, sed tantum secundum quid, id est, secundum rationem. Quamquam autem distinctio hæc nō requirat extrema, quæ in se sint entia rationis, semper tamē supponit in eis aliquam denominationem rationis, qualis est denominatio subiecti, aut prædicati, vel saltē esse sic cōcise, vel inadæquate concepta. Ex quo etiā fit, vt, licet hæc distinctio non requirat extrema, quæ absolute sint entia rationis, possit tamen etiam inter illa fingi & excogitari: nam ens rationis semel conceptum, potest ad se ipsum comparari, & sic ratione distingui. Imo & relatio speciei v. g. quamuis in se vnum numero ens rationis sit adæquate respiciens omnia individua, potest etiam præcise concipi vt ad vnum vel aliud terminatur, & sic ratione distingui. Quamuis ergo distinctio rationis non requirat entia rationis vt extrema, neque inde denominetur, potest tamen ad illa extendi, seu in illis versari.

Ex quo vterius intelligitur, distinctionem rationis dupliciter dici posse, seu denominari, primo intrinsecè, nimirum quia in se non est vera distinctio, sed concepta solū, seu ratione cōficta, & hæc est propria distinctio rationis, de qua loquimur: alio tamen modo potest distinctio ratione dici quasi extrinsecè ab extremis in quibus versari intelligitur; ita vt distinctio rationis dicatur; quæ inter extrema seu entia rationis omnino versatur, & hæc non semper est distinctio rationis priori modo, sed tunc solum, quando circa idem ens rationis versatur, vt explicatum est. Possunt autem interdum distingui duo entia rationis, quæ non possunt dici proprie realiter distingui, quia entia realia non sunt, tamē neque etiam dici possunt ratione distingui proprie & intrinsecè:

O 2

quia

VI.

VII.

Rationis distinctio ex
trinsecè al-
tera, altera
intrinsecè.

Distinctio
rationis an
& que sit.

III

V.

quia eo modo quo sunt, non iam ex fitione rationis, sed ex se vere distinguuntur. Nam, cum distinctio negatio sit, communis esse potest etiam fictis entibus & ita potius est illa distinctio quasi realis. Sicut supra dicebamus de distinctione inter tenebras, & cæcitatem; similis enim intelligitur inter relationem speciei ad indiuidua, quæ concipitur in natura humana ad sua indiuidua, & in equina ad sua; ita enim comparantur illæ duæ relationes inter se, quod, si reales essent, realiter essent distinguendæ habent enim fundamenta & terminos realiter distinctos.

VIII.
Vnde oritur ratio
quævis distinctionis.

Vltimo ex dictis intelligitur, distinctionem rationis propriam & intrinsecam, de qua loquimur proprie & per se non esse, nisi medio intellectu concipiente res imperfecte, abstracte, confuse, vel in adæquatione. Quia cum hæc distinctio non sit in re, neque in obiecto cognito, solum consistit in quadam denominatione a conceptibus mentis, & ideo requirit distinctionem saltem in ipsis conceptibus, & in denominatione, quæ ab illis sumitur: hæc autem distinctio conceptuum respectu rei, quæ in se omnino vna est, nunquam est, nisi ob imperfectionem ipsorum conceptuum. Quapropter intellectus diuinus per se non proprie facit distinctionem rationis, quamvis comprehendat illam, quæ ab intellectu finito & imperfecte concipiente fieri potest.

Punctus questionis, & opinioniones varia.

IX. **H**is positis præcipua difficultas superest, an præter hæc duo genera distinctionum, sit aliud admitterendum, quod sit veluti medium inter illa. Multi negant posse excogitari, aut intelligi mediam aliquam distinctionem. Ita sentit Durand. in 1. d. 2. q. 2. Ocham. q. 3. Heruzus quodlib. 3. q. 3. Ioan. de Gandauo 6. Metaphys. q. 10. Soncin. 7. Metaphys. q. 36. & idem sentit Caiet. 1. p. q. 54. artic. 2. & Soto q. 3. vniuers. & capit. de Prop. q. 2. Sed in his authoribus cauenda est equiuocatio ratione cuius possunt, vel nominibus tantum differre, vel etiam in re. Nulla enim distinctio inter extrema positiua, & realia excogitari potest, quæ, si per rationem conficta non sit, non debeat necessario in re ipsa antecedere, & esse ante omnem operationem intellectus, & quia, quicquid huiusmodi est, reale est, quatenus in rebus existit, ideo in hoc sensu omnis distinctio, quæ rationis non est, realis dici potest: atque ita manifestum videtur, non posse dari medium inter distinctionem realem, & rationis. Tamen hoc posito, adhuc superest questio an omnis distinctio, quæ antecedit in rebus omnem operationem intellectus non tantum fundamentaliter, & virtualiter, sed etiam actualiter & formaliter sit veluti eiusdem rationis quoad hoc ut sit inter res distinctas, an vero in rebus ipsis sit aliqua maior & minor distinctio, & illa quæ maior est, scilicet inter rem & rem, nomen distinctionis realis obtineat, alia vero vocetur distinctio media, seu alijs nominibus infra explicandis. Si ergo dicti authores priori tantum sensu negant distinctionem mediam inter realem & rationis, solis terminis differunt ab his qui illam admittunt, non tamen constanti modo loquuntur, qui nunc illam negant, nunc vero illa vtuntur: quod maxime in Soto videre licet citatis locis, & in cap. de relatione, & alijs. Si autem posteriori sensu negant distinctionem mediam, sic erit dissensio maxime de re.

X. In hoc ergo sensu suaderetur primo hæc sententia. Non sunt plura genera distinctionum, quam entium: quia vnum & multa consequuntur ens: distinctio autem est per quam multitudo confluit, sed non sunt alia entia nisi realia vel rationis, vt colligitur ex Arist. 5. Metaph. tex. 12. & 6. Metaph. tex. 6. nam cum hæc duo includant immediatam contradictionem, non potest inter ea medium excogitari: ergo. Secundo, quæcunque sunt in re ante intellectum, vel sunt idem realiter, vel realiter diuersa, aliqui dare-

tur medium inter idem & diuersum, quod repugnat Arist. 4. Metaph. tex. 4. & 5. vbi dicit, idem & diuersum adæquate diuidere ens, sicut vnum & multa, & libr. 10. text. 11. dicit, quodlibet ens ad alterum comparatum esse idem, vel diuersum ab illo. Et ratio est, quia hæc etiam opportuntur per immediatam contradictionem, sicut ergo idem, & diuersum in genere, ita etiam tale idem & diuersum, scilicet realiter, conuenit cuiusque enti respectu alterius. Igitur omnia, quæ vt duo entia à nobis concipiuntur, vel sunt idem realiter, vel diuisa realiter, si diuersa realiter distinguuntur realiter, si vero sunt idem realiter, non possunt in re distinctionem habere ante intellectum, quia repugnat simul esse idem & diuersum à parte rei.

Quod si forte dicatur, non repugnare esse idem in communi ratione entis, esse tamen diuersa in ratione talis vel talis entis, v.g. qualitatibus vel relationibus, actionis vel passionis, &c. contra hoc argumentor. Tercio. Multiplicato inferiori, necesse est vt eodem modo multiplicetur prædicatum superius, sed qualibet determinata rationes entium sunt inferiores ad ens: ergo non possunt à parte rei multiplicari aliqua sub determinatis rationibus entium, vt v.g. in ratione qualitatibus & relationis, albedinis, vel similitudinis quin multiplicentur sub communi ratione entis. Ergo si sunt plura sub his determinatis rationibus, sunt etiam plura entia: ergo non possunt in illis rationibus distinguere à parte rei, quin realiter distinguantur. Prima propositio videtur per se nota ex dictis supra de vniuersalibus, non potest enim idem attributum vniuersale seu commune existens à parte rei, vnum & idem numero, oppositis differentijs, seu modis contrahi, aut determinari, ac propterea diximus vnitatem in communi aliqua ratione, non esse veram & realem vnitatem à parte rei, sed solum similitudinem rei, & vnitatem rationis: ergo, si aliqua multiplicatur in re, secundum determinatas rationes entis, necesse est in illis etiam multiplicari in re, ipsam rationem entis. Quia, cum illa duo, quatenus à parte rei distinguantur, includant oppositos, seu repugnantes modos, aut differentias, quibus inter se distinguuntur, non possunt habere in re veram & realem identitatem, nec numericam vnitatem in ratione entis, quia non potest idem numero ens oppositis differentijs simul affici ac determinari. Et confirmatur, quia alias posset etiam esse vnum numero accidens in re, & tamen esse duas qualitates, & qualitatem simul & quantitatem, & eadem ratione posset esse vna substantia, duo corpora & vnum numero animal, equus, simul ac leo, vel aliquid huiusmodi. Quod, si in his cernitur aperta repugnantia, eadem erit in omnibus quæ in re distinguuntur secundum proprias rationes respectu cuiusque superioris, etiam ipsius entis. Quia non minus essentialiter includitur ens, in quibuscunque inferioribus rationibus, quam omnia prædicata intermedia. Et quia differentia illæ oppositæ seu diuidentes eandem repugnantiam inuoluunt respectu eiusdem indiuidui sub quacunque ratione superiori, vel inferiori consideretur.

Quarto aliter hoc ipsum explicatur, nam quidquid à parte rei est, habet suam realem essentiam: ergo quæ à parte rei sunt distincta, à parte rei habent distinctas essentias, vel numero, si ipsa sint tantum numero distincta, vel specie aut genere, si illa dicantur esse essentialiter distincta: ergo habent etiam à parte rei distinctas entitates, quod est realiter distinguere. Patet hæc vltima consequentia, tum quia entitas rei nihil aliud est, quam realis essentia extra causas posita, vt infra ostendemus, si autem sunt essentia distinctæ, illæ sunt reales & extra causas posita: erunt ergo distinctæ entitates. Tum etiam, quia, si ibi sunt duæ essentia reales, vnaquæque earum est essentia alicuius entis realis, quia ens & essentia

sentia adæquatè comparantur, vt abstractum & concretum, sed vnum & idem ens, non potest habere nisi vnam essentiam: ergo si sunt duæ essentiae reales, sunt duo entia realia. Minor propositio vltima videtur per se nota, quia res maximè habet vnitatem à sua essentia, & quia, nihil magis esse debet inuariabile, & fixum ac certum in re, quam essentia. Ac denique, si res est per vnam essentiam constituta, secundum illam habet vltimam differentiam, & speciem: ergo non est amplius determinabilis: ergo non potest illa & eadem res actuari, determinari, seu constitui per differentiam alterius speciei: ergo non potest habere aliam essentiam: si ergo est alia essentia distincta, aliam rem constituit.

XIII. Secunda sententia est, dari in rebus, quandam distinctionem actualem ante intellectum, quæ proinde non est rationis, sed maior illa, neque etiam est tanta distinctio, quanta est realis inter rem & rem. Hæc sententia communiter tribuitur Scoti in 1. d. 2. q. 7. §. vlt. & dist. 5. quæst. 1. & dist. 8. quæst. 4. & in 2. dist. 3. quæst. 1. & alijs innumeris locis, in quibus, vel de distinctione attributorum Dei, vel de distinctione vniuersalium, vel de similibus disputat. Quoniam his locis non satis explicet Scotus, an hæc distinctio, quam ipse formalem vocat, sit actualis in re, vel tantum fundamentalis seu virtualis; interdum enim virtutem appellat, & ita inter eius sectatores est varius opinandi modus. Nam aliqui existimant, distinctionem formalem apud Scotum, non esse aliam à distinctione rationis ratiocinatæ, eo sensu & modo quo à nobis declarata est, quam dicunt vocari formalem: quia diuersæ definitiones, seu rationes formales ibi concipiuntur: dicunt etiam appellari distinctionem ex natura rei, quia in rebus ipsis habet fundamentum, & virtualiter in ipsis est, licet actu non præcedat, in quo sensu Scotus nihil fauet secundæ opinioni propositæ: nec videtur dubium, quin in aliquibus locis Scotus ita sentire videatur, præsertim quando agit de attributis diuinis. Nihilominus tamen alij Scoti discipuli, intelligunt, eum esse locutum de distinctione vera & actuali, quæ in re sit ante intellectum, quam non solum in creaturis, sed etiam in Deo existimant reperiri, saltem inter relationes diuinas & essentiam. De quibus idem tenet Durand. in 1. dist. 1. 2. part. distinct. 5. quæst. 2. ad 4. & latius dist. 33. quæst. 1. & multi alij, quos hic longum esset recensere. Possunt etiam pro hac opinione referri multi, qui inter varias res admittunt distinctionem ex natura rei, & non realem, vt inter existentiam & essentiam, naturam & suppositum, quantitatem & substantiam, fundamentum & relationem, similia, quæ inferius suis locis videbimus.

XIV. Solet item hæc opinio Arist. attribui, vel quia in 3. Phys. asserit, eundem motum esse actionem & passionem sub diuersis rationibus formalibus. Et 4. Phys. eodem modo distinguit tempus à motu, quod tamen dicit non esse rem ab illo distinctam. Et quod 1. de Generat. similem distinctionem inter nutritionem & augmentationem constituere videatur, dicens, esse idem subiecto, id est, entitate, distinguuntur autem secundum esse, id est, secundum formale esse. Ac denique quod in Prædicam. constituat eandem qualitatem, v. g. calorem sub diuersis speciebus, quod non potest intelligi, nisi quia duæ species possunt esse idem secundum rem, & formaliter distinguuntur. Sed hæc testimonia non multum cogunt, quia in duobus primis exemplis, & in vltimo etiam sufficit distinctio rationis per inadæquatos conceptus, vt latius dicemus infra tractando de accidentibus, & prædicamentis. In secundo autem exemplo violenta est expositio illorum verborum Arist. apud quem esse, idem subiecto, nihil aliud est quam (quod verba ipsa sonant) esse in eodem subiecto & supposito coniuncta, distinguuntur autem secundum esse potius, est di-

Franc. Suar. Metaph. Tom. I.

stingui in sua entitate seu forma. Quomodo ait idem Arist. 1. Phys. text. 21. album & musicum esse eadem secundum rem, & ratione distinguuntur. Vbi valde æquiuocè vtitur his vocibus, rationem enim vocat essentiam seu definitionem, rem vero subiectum, seu suppositum, in quo hæc insunt. Ad hunc ergo modum exponi potest, vel etiam debet, cum ait, nutritionem & augmentum esse idem subiecto, distinguuntur autem secundum esse: maxime, si nutritio significet mutationem vt terminatam ad substantiam, auctio vero mutationem vt terminatam ad quantitatem: nam si vtræq. sumatur vt terminatur ad quantitatem, sic possunt tantum ratione, vel habitudine distinguuntur, quatenus acquisita quantitas maior vel æqualis est deperdita, sed de hoc alias. Ex his ergo & similibus Arist. testimonijs nullum firmum pro hac sententia argumentum desumi potest. Et idem sentio de D. Tho. & de alijs antiquis auctoribus, qui fere semper vtriusque vocis, distinctionis realis & rationis in priori sensu supra explicato, & quætionem in qua nunc versamur, distinctè non tractant.

Ratione solet potissimum hæc sententia suaderi: nam, quidquid est extra definitionem essentialem rei, est aliquo modo in re distinctum ab illa, sed multa sunt extra essentiam rei, quæ non sunt res distinctæ ab ipsa re: ergo datur distinctio in re minor distinctione reali. Vel aliter, quæ distinguuntur definitione & conceptu obiectiuo, distinguuntur ex natura rei, & ante intellectum, sed multa distinguuntur hoc modo, quæ non distinguuntur vt res à re: ergo. His & similibus rationibus vtuntur Scotista, quia his ferè modis videtur Scotus distinctionem formalem declarare, tamen si quis rectè consideret, vel in eis petitur principium, vel sumitur distinctio formalis pro distinctione ratione ratiocinatæ per conceptus inadæquatos, quæ virtualiter tantum seu fundamentaliter dici potest esse ex natura rei. Probatur seu declaratur quod dicimus, quia essentia rei non definitur à nobis semper prout in re est, prout à nobis concipitur, sic enim definimus essentiam hominis vt communem, cum in re non sit nisi singularis, & hoc modo loquendo de essentia, falsum est quidquid est extra essentiam distinguuntur à parte rei actualiter ab eo, quod est de essentia, vt patet ex dictis supra de indiuiduatione, & natura specifica & de alijs vniuersalibus, scilicet, genere & differentia, de quibus videntur potissimè loqui prædicti auctores. Vnde ita etiam videntur loqui de essentia in prima ratione: nam si loquantur de essentia prout est in re, hæc nihil aliud est, quam ipsa rei entitas, & ideo cum supponitur esse in re aliquid distinctum ab essentia, quod non sit res distincta, id supponitur, quod probandum est. Multò autem infirmior est secunda ratio. Maior enim non est vniuersaliter vera, multa enim distinguuntur in conceptibus obiectiuis respectu nostri, quæ tantum ratione distinguuntur per conceptus inadæquatos, vt patet ex dictis de conceptu entis, & indiuiduo, specie, & alijs vniuersalibus: & eodem modo possunt definitione distinguuntur solum secundum rationem, quando definitio non est adæquata rei prout est in se, sed prout obijcitur tali conceptui nostro.

Quæstionis resolutio.

Nihilominus censeo, simpliciter verum esse dari in rebus creatis aliquam distinctionem, actualem, & ex natura rei, ante operationem intellectus, quæ non sit tanta, quanta est inter duas res, seu entitates omnino distinctas, in qua distinctio, quamuis generali vocabulo possit vocari realis, quia verè est à parte rei, & non est per denominationem extrinsecam ab intellectu, tamen ad distinguendum illam ab alio maiori distinctione reali, possumus

XV.

XIV.

XVI.

XV.

mus illam appellare, vel distinctionem ex natura rei, applicando illi tanquam imperfectiore generale nomen (quod vsitatum est) vel proprius vocari potest distinctio modalis: quia, ut explicabo, versatur semper inter rem aliquam, & modum eius. Nomen autem distinctionis formalis non ita mihi placet, quia est valde æquiuocum, sæpe enim conuenit rebus realiter distinctis, quatenus inter se distinguuntur essentialiter, si specie differant, habent enim diuersas vnitates formales, & ita etiam formaliter differunt. Imò & indiuidua eiusdem speciei, quatenus distinctas habent vnitates formales indiuiduas; ut supra diximus, dici possunt formaliter distinguui. Imò & in Trinitate Paternitas & Filialis, quæ realiter distinguuntur, & non essentialiter, etiam secundum numerum, dici possunt formaliter distinguui in obiectiuis rationibus relationum; qui modus distinctionis extra illud mysterium non reperitur. Sic ergo distinctio formalis latius patet, & maior esse potest, quam distinctio ex natura rei, de qua nunc loquimur. Aliunde verò etiam potest esse minor, & ita est communior, quia frequenter applicatur ad rationes formales ut conceptas, & præcisas per intellectum nostrum, & tunc illa distinctio non transcendit gradum distinctionis rationis.

XVII.

Ut autem assertio probetur & explicetur, suppono in rebus creatis præter entitates earum, quasi substantiales, vel radicales (ut ita dicam) inueniri quosdam modos reales, qui & sunt aliquid positium, & afficiunt ipsas entitates per se ipsos, dando illis aliquid, quod est extra essentiam totam, ut indiuiduam, & existentem in rerum natura. Hoc patet inductione: nam v.g. in quantitate quæ est in substantia, duo considerari possunt: vnum est, entitas ipsius quantitatis, aliud est vnio seu actualis inherencia eiusdem quantitatis cum substantia. Primum vocamus simpliciter rem quantitatis, includentem quicquid est de essentia quantitatis indiuiduæ, & in rerum natura positæ, quod manet & conseruatur, etiam si quantitas à subiecto separaretur, & impossibile est conseruari illam rem numero, quæ est hæc quantitas, quin includat hanc essentiam quantitatis cum sua intrinseca indiuiduatione, & actuali esse, de quo esse postea videbimus: cetera enim constant ex supra dictis. Secundum, id est, inherenciam, appellamus modum quantitatis, non quidem illa generali significatione, qua omnis qualitas solet modus substantiæ appellari, ut ait D. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. Neque etiam illa generali loquedratione, qua omne contrahens, vel determinans solet appellari modus contracti: sic enim rationale dici potest modus animalis, & specialiter solet hæc vox applicari ad illos modos, quibus determinatur ens, vel accidens ad genera generalissima. Neque etiam sumitur hæc vox in illa generaliter, qua modus dici solet omnis determinatio, vel limitatio præfixa unicuique rei finitæ iuxta mensuram eius, ut eodem loco notauit D. Thom. ex Aug. lib. 4. Genes. ad litteram, cap. 3. dicente, *Modus est quem mensura præfigit*. Quo modo ait idem August. lib. de natura boni, cap. 3. Ex tribus necessarijs ad vniuscuiusque rei creatæ bonitatem, quorum duo sunt *species & ordo*, tertium esse *modum*, id est debitam commensurationem ad sua principia, ut explicuit D. Tho. 1. p. q. 5. art. 5. & 1. 2. q. 85. art. 4. & sæpe alias. Sed ab hac generali ratione modi recedendo, & applicando illam ad rem præsentem, appellatur inherencia quantitatis modus eius: quia est aliquid illam afficiens, & quasi vltimò determinans statum, & rationem existendi eius, non tamen addit illi propriam entitatem nouam, sed solum modum præexistentem.

XVII.

Nam quod nouam entitatem propriam non afferet, vix potest in dubitationem venire, quia si esset noua omnino entitas, non posset esse actualis vnio

inter quantitatem & subiectum, sed ipsa potius indigeret, quo subiecto vniretur, & quantitati, sicut quantitas ipsa indiget inherencia, qua subiecto vnatur. Quod si inherencia non indiget alia vnione, vel inherencia, qua vnatur, vel inherereat, ideo est, quia ipsa per se non affert propriam entitatem, quæ inherereat, & vnatur, sed est tantum quidam modus qui per se est ratio vnionis & inherentie. Cuius signum etiam est, quia hæc inherencia habet talem modum essendi, ut per nullam potentiam esse possit, nisi actu coniuncta ei forma cuius est inherencia, & quod hæc inherencia numero non potest afficere seu potius vnire nisi hanc numero formam, cui est veluti affixa, qui modus afficiendi nunquam reperitur in his formis, vel rebus, qui proprias ex se habent entitates. Quod autem in quantitatis inherencia explicatur est, in qualitate eodem modo procedit, & in vnione formæ substantialis ad materiam, & in subsistentia seu personalitate respectu naturæ & in præsentia & motu locali, & in quacunque actione seu dependentia respectu sui termini, de quibus omnibus non est hic dicendi locus. Occurrit tamen in huius operis progressu. Solum vltimum exemplum, quod facilius videtur, paululum explicabo, pendens enim lumen v.g. à sole, quæ dependentia aliquid est præter lumen & solem, potest enim intelligi manere lumen & solem, & lumen non pendere à sole, ut si Deus nollet concurrere cum sole ad producendum, vel conseruandum lumen, sed sua sola virtute vtrumque conseruaret. Non potest autem mente concipi, hanc dependentiam luminis à sole esse entitatem prorsus distinctam ab ipso lumine: tum quia per illam dependentiam influit causa tanquam per viam in effectum seu terminum: vnde non potest esse res omnino distincta ab illo, tum etiam quia alias illa entitas saltem de potetia absoluta esset separabilis ab alia, quod est plane intelligibile: est ergo illa dependentia modus quidam ipsiusmet luminis, quem aliquis fortasse relationem vocabit, non est tamen relatio prædicamentalis, sed includit relationem seu habitudinem transcendentalem, ut latius infra dicetur. Igitur dantur in entitatibus creatis modi aliqui efficientes ipsas, quorum ratio in hoc videtur consistere, quod ipsi per se non sufficiunt constituere ens seu entitatem in rerum natura, sed intrinsece postulant, ut actu efficiant entitatem aliquam, sine qua esse nullo modo possint.

Ratio autem ponendi hos modos à posteriori sumitur ex inductione facta, à priori autem esse videtur, quia, cum creature sint imperfectæ, ideoque vel dependentes, vel compositæ, vel limitatæ vel mutabiles secundum varios status, præsentia vnionis, aut terminationis, indigent his modis. quibus hæc omnia in ipsis compleantur. Quia nec per entitates omnino distinctas hoc semper fieri necesse est, imò nec commode intelligi potest, neque etiam fieri potest per id, quod sit omnino nihil, & ideo saltem requiritur modus realis. De quo quod duplex sit, & in quo prædicamento collocetur per se aut reductiue, dicam inferius in diuisionibus prædicamentorum. Denique hos modos videtur agnouisse Durand. in 1. dict. 30. quæst. 2. num. 15. vbi loquens de esse in, seu inherencia accidentis, dicit esse respectum, qui analogice dicitur res, vel ens, quia non est res, sed modus essendi, neque est entitas habens modum, sed modus tantum entitatis: & num. 16. idem dicit de dependentia, & de omni eo, quod est solus modus essendi. Et eodem modo loquitur de inherencia Aristod. 1. de Gener. quæst. 5. ad 1. Et in particulari tractando de subsistentia, ita illam explicant multi, ut Aegid. titul. de composit. angel. quæstio. 5. Ac deique Fonseca libro quinto, Metaphysic. capit. 6. quæstion. 6. section. 2. hos modos expresse ponit, quamuis distinguat tria genera modorum, quidam qui sunt entitates ex se distinctæ ab alijs.

XVIII.

Ad idem
huiusmodi
est tantum
distinctio
ponendi qui
sunt res.

alijs vt albedo, dulcedo, & in hoc ordine ponit figuram sed immerito, quia in tertio constituitur, quia respectu quantitatis illam afficit tanquam modus, non tanquam res omnino ab illa distincta. Alij qui non solum non sunt entitates distinctae, verum, neque vilo modo in re distinguuntur ab his rebus, quarum modi esse dicuntur, sed ratione tantum, vt sunt illi modi, quibus contrahitur ens ad inferiora. Sed hae duo genera modorum iam sunt à nobis praetermissa, quia hi posteriores non sunt modi, nisi secundum rationem, illi verò priores sunt res, vel formae habentes ex se proprias entitates. In tertio ergo ordine ponit eos modos, quos propria & specialiratione reales modos appellamus, de quibus idem sentit, quod nos explicuimus, quamvis aliqua ponat exempla, quae incerta nobis sunt. Vt est illud de existentia rerum creaturarum, de modo vnde res dicitur necessaria aut contingens: aut ens completum vel incompletum. Nam hoc vltimum æquiuocum esse potest: quia si hæc dicantur de toto & partibus integralibus, sic verum est, esse modum quandam ad quantitatem pertinentem: eadem enim portio aquæ v. g. si per se terminata sit & seiuncta ab alijs, dicitur ens completum seu totale, si vero sit alijs continua, dicitur ens parziale vel incompletum, qui modus solum consistit in diuersa vnione, vel terminatione. Si verò illa dicantur de ente secundum se, potius pertinent ad modos intrinsecos & essentialis entis, siue ens dicatur incompletum secundum rationem, vt differentia, siue physica & secundum rem, vt anima rationalis, quæ dicitur ens incompletum, non per aliquid additum essentiali eius, sed per suam essentiam: vnde ille modus solum ratione distinguitur ab illa. Et idem existimo de alio modo entis necessarij, vel contingentis, si in ratione absoluta entis hæc considerentur: nam si considerentur in ratione effectus, sic sunt denominationes extrinsecæ, vt infra dicemus. De existentia verò, res est magis controuersa, quam infra disputabimus. Quicquid vero sit de exemplis, verissimè dicit Fonseca, modum hunc non esse propriè rem seu entitatem, nisi latè & generalissimè vocando ens, quicquid non est nihil: tamen sumendo entitatem pro illa re, quæ ex se & in se ita est aliquid, vt non postulet omnino intrinsecæ & essentialiter esse semper affixam alteri, sed vel non sit alteri vnibilis, vel saltem vniri non possit, nisi medio aliquo modo à se ex natura rei distincte modus non est propriè res seu entitas, & in hoc eius imperfectio optimè declaratur, quod semper esse debet affixus alteri, cui per se immediatè vnitur sine medio alio modo, vt sessio sedenti, vnio rebus vnitis, & sic de alijs, de quibus sæpè occurret sermo in sequentibus.

XIX. Ex his ergo facile intelligitur sensus & probatio conclusionis posita, cum hic modus prout à nobis est explicatus ex natura rei distinguitur actualiter à re, cuius est modus, vt omnes fatentur, imò plures vocant illam distinctionem realem, quia in rebus ipsi reperitur, quod euidentius constabit ex dicendis sect. sequenti: sed non propriè distinguitur hic modus ab eo, cuius est modus tanquam res à re: distinguitur ergo minori distinctione, quæ propriissimè appellatur modalis. Minor probatur, tum quia modus per se ac præcisè consideratus non est propriè res aut entitas, vt satis explicatum est: ergo nec propriè distinguitur, vt res à re: tum etiam, quia hic modus tam intimè includit coniunctionem cum re, cuius est modus, vt per nullam potentiam sine illa esse possit: ergo signum est illam coniunctionem esse quandam modum indentitatis: est ergo minor distinctio inter hunc modum & rem, quam inter duas res: quæ omnia magis confirmabuntur sect. sequent. declarando signa harum distinctionum, & consequenter differentias, quibus inter se distinguuntur.

Vltimo addo, præter distinctionem realem, modalem, & rationis nullam aliam reperiri, quæ vel non sit communis his, vel in illis non contineatur. Hoc dixerim propter aliquos, qui addunt distinctionem formalem, qualis est inter hominem & animal: quam distinguunt in mutuam, vt inter animal & rationale, & non mutuam, qualis est inter animal & hominè: item distinctionem essentialem qualis est inter hominem & equum, & distinctionem potentialem, qualis est inter partes continui, & similia multiplicari solent, quæ mihi necessaria non videntur. Sufficientia ergo prædictæ partitionis facile colligitur ex dictis: nam vel extrema distinctionis non sunt à parte rei actu distincta vilo modo, & sic semper est distinctio rationis, & etiam si alijs nominibus appellatur, quia solum conuenit per denominationem extrinsecam, quatenus eadem res obijcit, vel subordinatur diuersis conceptibus. In hac autem distinctione possunt gradus reperiri, vt dixi, & quando habet in re fundamentum, & sit per plures conceptus inadæquatos, potest appellari distinctio formalis, vel interdum etiam essentialis secundum rationem. Et in hoc ipso potest esse multiplex modus, quatenus extrema varijs respectibus comparari possunt, scilicet, vel solum vt determinatum & interminatum, sicut ens & substantia: vel vt totum & pars, vt differentia & species, vel vt diuersæ partes, sicut animal & rationale. Atq; ita potest etiam hæc distinctio intelligi tanquam inter includens & inclusum, vel tanquam in ea, quæ secundum rationem neutrum includit alterum, quo sensu, & nullo alio vero potest hæc distinctio dici mutua, vel non mutua, reciproca vel non reciproca, tamen hæc omnia cadunt sub latitudine distinctionis rationis. At vero, si extrema distinctionis à parte rei actu distincta sunt, vel vtrumq; est vera res habens propriam entitatem simplicem vel compositam, vel vnum est res, & aliud est modus eius. Priori modo constituitur distinctio realis, posteriori autem modalis: non est autem intelligibilis alia habitudo inter hæc extrema: neque aliud medium inter ea excogitari: includit enim inter se immediatam oppositionem, quali contradictionis: non est ergo alius modus distinctionis.

In ipsa tamè distinctione reali seu plurium rerum, possunt, vel varij modi, vel variæ habitudines considerari. Primum enim intelligere possumus res sic distinctas non solum esse re ipsa distinctas, sed etiam dissimiles in sua intrinseca, & essentiali entitate: & tunc dicuntur, non solum realiter, sed etiam essentialiter distingui, & quo maior est illa dissimilitudo, vel minor, dicuntur distingui vel specie vltima vel subalterna, vel etiam genere aut prædicatione. Vnde distinctio essentialis, vel communis est ad realem modalem & rationis, vel si propriissime sumatur includitur in reali, quamvis cum illa non conuertatur: & potius addit dissimilitudinem, quam distinctionem. Quæ omnia procedunt vtendo in rigore illa voce distinctionis essentialis: nam si sit sermo de distinctione essentialium, qualis inter indiuidua etiam intercedit, vt supra diximus: hæc nihil propriè addit, sed indicat res inter quas est distinctio: sicut distinctio personalis vocatur illa, quæ est inter personas. Rursus, hæc res sic distinctæ interdum possunt esse vnite inter se, interdum vero vni tertio: priori modo vniuntur materia & forma, & similiter partes integrales continuæ, vt mittamus alias vniones magis extrinsecas & accidentales. Quocirca, sicut materia & forma, quamuis vnite sint, nihilominus distinctionem realem inter se retinent: ita etiam partes continuæ quamuis sint vnite, distinguuntur realiter, non solum quoad designationem, vt quidam loquuntur, sed etiam quoad partialem entitatem vniuscuiusque.

XX.
Præter modalem, realem aut rationis, nulla distinctio.

XXI.
Varij distinctio realis modi.

*Distinctio
potentialis
non realis;*

Solum est aduertendum, quod materia & forma ex se sint entia incompleta, & partialia, siue coniuncta sint, siue separata existere supponantur, & ideo semper censentur distinguere eodem modo. At vero partes integrales non habent rationem partis, neque entis incompleti, nisi quando coniuncta sunt: nam statim ac separantur, vnaquaqueque incipit esse entis integrum & totale, quia per se non ordinatur ad componendum aliud: & ideo aliter censentur distinguere (magis quoad denominationem vel modum, quam quoad rem) quando sunt disiuncta, vel unita: nam in priori statu distinguuntur, ut entia totalia, in posteriori vero ut partialia, & ideo dici aliquid quando solent huiusmodi partes unita actu distinguere ut partes, in potentia vero ut entia, id est, ut tota quaedam, quia sunt in potentia, ut talia sunt. Quia omnia maxime cernuntur in partibus homogeneis continuis: nam in heterogeneis, licet in re ferat idem sit, tamen in modo est nonnulla diuersitas, quia maiorem dissimilitudinem habent, & ideo videntur maiorem quandam distinctionem habere, etiam dum sunt in toto, & quando separantur, si non mutant substantialem formam, sed eandem conferunt, quam habebant in toto, ut contingit in plantis, & animalibus sectilibus, adhuc censentur entia incompleta & partialia: quia semper sunt quasi per se ordinata ad componendum aliud. Ex his ergo facile intelligitur, quod distinctio illa, quae ab aliquibus vocatur potentialis, est distinctio realis: quia vero distinctio est negatio, duo possunt per eam negari: vnum, quod hoc sit illud: & hoc actu verum est de partibus actu unitis: quia vna non est alia, & haec negatio est, quae per se primo requiritur & sufficit ad distinctionem. Aliud quod potest negari, est hoc esse coniunctum illi, quod est dicere, hoc non esse illud tanquam ens totum & integrum distinctum ab illo, & hoc non conuenit partibus unitis in actu sed in potentia, & sub hac ratione potest illa distinctio vocari potentialis: tamen ut sic nondum est, & ideo non oportet eam inter distinctiones numerare tanquam ab alijs distinctam. Tandem hinc a fortiori intelligitur, sine causa aliquos vocare hanc distinctionem inter partes continui distinctionem rationis habentem fundamentum in re, quia partes illae non distinguuntur actu, sed designatione, & potentia. Non est enim hoc verum, quia ibi non est solum fundamentum distinctionis, sed vera distinctio proprie hac voce vtendo, non prout dicit separationem seu disunctionem, sed prout dicit diuersitatem entitatis totalis vel partialis. Alias materia & forma, quando sunt unita, non deberent dici distincta actu, sed potentia tantum: quia non est minor vnio inter materiam, & formam, quam inter partes continui. Separatio ergo inter illas partes poterit dici rationis: quia solum per rationem possunt considerari ac si essent disiunctae, & quasi quaedam tota: distinctio autem partium actualis est, & realis. Nam partes istae, etiam dum componunt totum, realitatem aliquam habent, quia sicut Aristot. dixit 1. Phys. cap. 2. Substantiam non componi, nisi ex substantiis: ita integrum ens non componitur, nisi ex entibus saltem partialibus, manent ergo talia entia distincta, licet unita: imo, nisi distincta manerent, compositio nem facere non possent, quia compositio non est, nisi ex distinctis.

*XXIII.
Distinctio
includens
ab inclusio
realis.*

Et hinc ulterius nascitur alius distinctionis modus, qui considerari potest, in quolibet toto respectu singularum partium, non enim sunt omnino idem, ut per se notum est, neque etiam distinguuntur ut duae partes inter se, quia illa ita se habent, ut neutra alteram includat, totum autem in sua entitate continet vtramque partem, & ideo dicuntur distinguere ut includens & inclusum. Tamen etiam illa distinctio prout hic intercedit, realis est, quia aliquam rem includit totum, quam non includit pars. Vnde

hic modus distinctionis, includentis, & inclusi, suo modo reperiri potest in distinctione reali, modalis, & rationis, nam in vnoquoque ordine potest comparari id quod se habet ut totum, ad aliud, quod se habet tanquam pars, tamen in singulis manet in latitudine distinctionis realis, modalis vel rationis: quia illud, quod vnum extremum includit ultra aliud, distinguuntur realiter aut modaliter, aut ratione ab altero incluso. Ex his ergo satis constat, nullum esse distinctionis modum, qui in praedictis tribus non contineatur.

Solum videtur posse obijci, quia praeter distinctionem inter rem & rem, & inter rem & modum potest inueniri distinctio inter modum & modum, ut multi putant de substantia & existentia, & est certius de substantia, & praesentia locali. Hic enim modi non possunt distinguere ratione, quia a parte rei ita existunt, ut habeant diuersa principia, & diuersas affectiones, ac denique ut separari possint, quae sunt indicia actualis distinctionis in re existentis, ut iam dicemus: neque etiam distinguuntur realiter, quia non distinguuntur ut res & res, cum non sint vere res; hoc enim argumento probauimus, modum non distinguere realiter ab ipsa re, quam afficit. Nec denique dici possunt distinguere tantum modaliter, tum quia vnus non est modus alterius, tum quia saepe sunt mutuo, & ad inuicem separabiles, quod est signum maioris distinctionis, quam modalis, ut statim dicemus.

Respondetur, cum hi modi non habeant esse seu entitatem, nisi ex re, vel in re cui adherent, ex illa pensandum esse quomodo ab alijs modis distinguantur: semper tamen eorum distinctio ad realem, vel modalem pertinebit, supposito, quod in re existit. Quod ideo dico, quia etiam possunt excogitari modi sola ratione distincti: sicut enim ratio per conceptus in adequatos potest distinguere vnam rem, ita & vnum modum, ut est valde probabile de actione & passione, de motu & tempore, de existentia & duratione, & de alijs. Loquendo autem de modis in re ipsa distinctis, ut sunt praesentia localis, v.g. & substantia humanitatis: aut hi comparantur tantum prout sunt in eadem re, & sic solum distinguuntur modaliter propter argumentum factum, quia cum ex se non habeant propriam entitatem, etiam ex se non habent, unde pliusquam modaliter distinguantur, neque ex re, quam afficiunt, plus distinguuntur, quia supponimus esse eandem: ergo non habent maiorem distinctionem, quam modalem. Et confirmatur, quia vnusquisque illorum habet aliquam identitatem cum illa re, quam afficit, ergo in illa & per illam habent aliquam identitatem inter se ergo retinet solum distinctionem modalem. Vnde non refert, quod possint mutuo separari, id est, quod possit vnus manere, alio non existente, vel e conuerso: quia saltem necesse est, ut semper maneat illa res, in qua vterque existit cum aliqua identitate. At vero si inter se comparentur modi afficientes res diuersas, siue illi modi sint eiusdem rationis, ut duae substantiae duorum hominum, siue diuersarum rationum, ut sessio vnus, & substantia alterius, sic distinctio inter hos modos est realis, non ratione ipsorum, sed ratione rerum in quibus sunt, nam vnusquisque habet aliquam identitatem cum re, quam afficit, & illae res distinguuntur inter se realiter: ergo & modi ratione illarum. Et hoc etiam bene confirmat illa ratio, quia illi modi sunt mutuo separabiles & inter se, & vnusquisque ab illa re quam alius afficit: nam hoc est sufficiens signum distinctionis realis. Atque in hunc modum omnis distinctio etiam inter ipsos modos ad praedictas res reuocatur.

Soluntur argumenta.

Ad argumenta prioris opinionis, quatenus procedere possunt contra distinctionem modalem

XXIV.

XXV.

*Duo modi
sunt ut qui
distinguantur.*

XXVI.

XXI.

Item à nobis positam, respondendum est. Ad primum respondetur duplici sensu posse sumi argumentum ab ente reali, vel rationis ad concludendam distinctionem realem, vel rationis. Primo tanquam à propria ratione & causa, ita ut talis existimetur esse distinctio, quales sunt res, in quibus versatur. Et hic sensus est falsus: ostensum est enim inter extrema realia intercedere distinctionem rationis, & è conuerso inter extrema rationis esse saltem quandam imitationem distinctionis realis. Secundo argumentum esse potest proportionale, seu à paritate rationis: ut quia in entibus non dantur nisi realia vel rationis, neque in distinctionibus danda sunt, & hoc sensu concedi potest proportio argumenti, si debito modo fiat, nihilque contra nostram sententiam concludet. Et enim, si ens reale in sua amplissima conceptione sumatur, pro omni eo, quod non est omnino nihil, quodque potest esse in rebus sine fictione intellectus, sic verum est, non dari medium inter ens reale rationis, & in eodem sensu concedo non dari medium inter distinctionem realem & rationis: nam omnis distinctio ex natura rei potest in hac amplitudine dici realis: & ita locuti fere sunt antiqui scriptores. Alio tamen modo potest sumi ens reale pro eo, quod ex proprio conceptu, seu ex vi suæ rationis formalis potest propriam entitatem asserere, seu constituere, & hoc sensu falsum est, non posse dari medium inter ens reale & rationis: datur enim modus entis, qui neque est merum ens rationis ut per se constat, neque est ens reale in eo rigore & proprietate sumptum, ut à nobis declaratum est: & ita etiam datur distinctio modalis media inter distinctionem rationis, & realem rigore sumptam.

XXVII. *Secundum* Ad secundum respondetur, inter idem & diuersum secundum eandem rationem sumpta non dari medium, ut recte argumentum probat. tamen secundum diuersas rationes fieri posse, ut, quæ sunt idem vno modo, alio sint diuersa, ut D. Thom. dixit 1. p. q. 11. art. 1. ad 2. Sic igitur ens & modus possunt dici idem realiter, & nihilominus habere in re distinctionem modalem.

XXVIII. *Tertium.* Neque contra hoc quicquam vrget tertium argumentum, nam nos non dicimus rem & modum distingui secundum proprias rationes, & non secundum communem, quod supponunt fere omnes replicæ ibi factæ: nam eo modo quo distinguuntur ens & modus à parte rei, distinguuntur omnia prædicata superiora etiam transcendentalia inclusa in modo ab his quæ includuntur in re cuius est modus. Atque ita concedendum est, quatenus modus est ens, eatenus ipsum & rem quam modificat, esse duo entia, & distingui in re ipsa, vel realiter late loquendo. Nihilominus tamen addimus, modum non esse propriæ & rigore ens, & hoc modo negamus ibi esse duo entia: negamusque subinde, ens hoc modo propriæ sumptum esse prædicatum superius ad rem & modum eius. Et ideo necesse non est, propter distinctionem modi à re multiplicari entia in dicta proprietate & rigore sumpta. Vnde ad confirmationem illius tertij argumenti, idem dicendum est de accidente, quod dictum est de ente, quia accidens interdum significat formam habentem propriam entitatem ex se distinguibilem & separabilem realiter ab omnia, interdum significat modum solum alterius, vel accidentis, vel substantiæ. Et priori modo repugnat, in eadem re inueniri plures rationes accidentis, ut argumentum conuincit, non tamen repugnat vnæ entitatem accidentalem habere vnum, vel plures modos ab ipsa tantum modaliter distinctos. Substantia vero simpliciter dicta, non significat modum, sed rem propriam & perfectam in suo esse, & idem est de corpore, & de quocunque gradu substantiæ sub his collocato; & ideo fieri non potest, ut hi gradus in re ipsa multiplicentur, non multiplicatis rebus, & substantiis. Tamen etiam in latitudine

substantiæ in communi, seu analogicè sumptæ, possunt dari aliqui modi substantiales, in quib. fieri potest, ut in eadem re seu substantia propriè & simpliciter dicta, sint vnus, vel plures modi substantiales inter se & ab illa modaliter distincti, ut sunt substantia, vnio, &c.

Atque ex eis facilis est solutio ad quartum, nam quod dictum est de ente, dicendum est de essentia reali. Potest significare propriam naturam ex se sufficientem ad constituendam entitatem in rerum natura, vel latius quamcunque rationem realem constitutiuam entis, aut modi realis. Hoc posteriori sensu concedimus in re & modo esse distinctas essentias, & ideo esse inter ea distinctionem ex natura rei, & aliquo modo realem. Priori tamen sensu vnica tantum est essentia in qualibet entitate: modi autem, qui ab illa ex natura rei, seu modaliter distinguuntur, non possunt esse de essentia eius, sed vel accidentia, vel ad summum, pertinentes aliquo modo ad integritatem vel causalitatem eius, ut de singulis postea exponemus. Ex quo sequitur (quod valde notandum est) in qualibet entitate propriè dicta esse vnica essentialem rationem, ut conuincunt ad minimum omnia illa argumenta in principio facta, quæ ratio essentialis, quasi fundamentalis est, & inuariabilis in tali entitate: ita ut impossibile sit, illam entitatem conservari in rerum natura sine illa ratione essentiali: quia per illam primo constituitur: vnde non potest esse nisi vna specifica, ut argumenta facta conuincunt. Rationes autem modales, quæ possunt esse quasi adhaerentes, vel affixæ tali entitati multiplicari, & variari possunt, quia in re sunt extra essentiam eius: ut in particulari clarius constabit in discursu totius Metaphysicæ.

SECTIO II.

Quibus signis seu modis discerni possint variari gradus distinctionis rerum.



Ota difficultas consistit in discernenda distinctione modali à cæteris: nam distinctio realis & rationis cum sit extremè opposita facile discernuntur: distinctio autem modalis cum sit media interdum existimatur realis propter conuenientiam, quam habet cum illa: interdum verò existimatur nulla in re, sed secundum rationem tantum propter quandam conuenientiam cum alia. Vt ergo aliqua generalia signa habeantur, quæ ad particulares questiones applicari possint, nonnulla breuiter dicenda sunt, supponendo, ut aliqua à nobis distinguantur plusquam ratione ratiocinantis (de qua distinctione nihil oportet addere, quia est prorsus conficta) ut minimum, seu in primis necessarium esse, ut habeant distinctos conceptus obiectiuos, & secundum eos rationes formales aliquo modo distinctas: quia nisi hoc saltem modo concipiantur, nec concipientur, ut distincta, neque erit vlla ratio inquirendi, quantà, vel qualis sit inter ea distinctio: suppositis verò pluribus conceptibus obiectiuis optimè & merito inquiretur, quomodo cognoscetur, an in re habeant distinctionem, & qualis illa sit.

Signum actualis distinctionis in re.

II. Dico primo, Quandocunque duo conceptus obiectiuè ita se habent, ut à parte rei, & in indiuiduo separari possint, vel ita ut vnum sine alio in rerum natura maneat: vel ita ut realiter desinatur, & realem vnionem, quam habebant, amittant, signum est inter illa esse maiorem distinctionem quam rationis ratiocinantis: atque adeo actualè aliquam ex natura rei, seu quæ

I. In quo sita sit difficultas.